BELLVM GRAMMATI-CALE.

Autore Andrea Guarna Salernitano.

Anno 1589.

SALMANTICAE.

Ex Typographia Michaelis Serrani de Vargas.

Sumptibus Claudij Curlet Sabaudienſis Bibliopolæ, è regione Scholarum maiorum commorantis, ſub inſigni Cucurbitæ aureæ.

RELIGIOSISSIMIS PATRIBVS SOCIETATIS IESV, iuuentutis institutoribus, & magiſtris, Claudius Curlet Sabaudienſis Bibliopola Salmanticenſis S. P. D.

GRammaticale (ut uocant) bellum annis abhinc octo, & quadraginta apud Lugdunenſes geſtum, iterumque hoc tempore Salmanticæ redintegratum, cum in puerorum Grammaticæ ſtudioſorum gratiam publicarem, offerre, ac commendare ſum auſus uobis, religioſiſſimi Patres, per quos Dei benignitate eſſe factũ uidemus, ut tenera ætas cum ſummo Chriſtianæ Reipublicæ commodo erudiatur. Exiguum ſanè, ac leue, ludicrumque opus, quodque indignum meritò uideri poſſet, ut in tantorum uirorum nomine appareret, niſi ueſtra illa uerè pia, & ſingularis induſtria, & ſapientia, quæ uos ad pueritiam inſtituendam impulit, ſperare me quoque iuberet, ut hos non illiteratos omnino, inutileſque ludos per uos adoleſcentulis inſinuare (qua ueſtra eſt humanitas, & lenitas) pateretur. Datur hoc à uobis etiam pueritiæ, ut ſubinde remittat, relaxetque animum. Quare qualemcunque accipite hanc, precor, operam: nec tam rem ſpectãdam, quàm uobis gratificandi uoluntatem putate.

GRAMMATICALE
BELLVM NOMINIS ET
verbi Regum, de principalitate orationis inter ſe contendentium, nuper editum à Reuer. D. Andrea Saler-nitano Patricio Cre-monenſi.

GRammaticae prouinciam, cæterarum omnium, quæ ubique terrarum ſunt celebres, ſunt pulcherrimam, felicisſimamque eſſe, nemo ſcit nec uel mediocriter eruditus eſt qui ambigat. Quippe cum amœnitate ſitus, ſalubritate cœli, frugum omnium copia, rebuſque alijs, quibus mortalis homo carere nō debet, nulli cedat, tum illuſtrium uirorū matrix ſemper extitit & alumna. Sicuti enim ætate hac, ita priſcis etiam temporibus inuiolabiliter obſeruatum fuit, ut quicquid ubique gentiū (barbaras, & deſides nationes ſemper excipio) gigneretur ingenij bonæ indolis, ad cuiuſuis ſpei, eò ſanctisſimis imbuendum diſciplinis mitteretur: ex hac ſiquidem ad ſublimiores regiones, beatioreſque habitationes, Dialecticam ſcilicet, Philoſophiam, Theologiam, cæteraſque illis ſimiles prouincias, unica ſemita patet: & niſi eam pera-

GASPARIS AVIATI CREMOnenſis carmen ad Lectorem.

Lector candide quid legis Thyeſten?
Sæuas Colchidas? auribus placebunt
Quæ doctus cecinit magis Salernus
Andreas: dubios mouet tumultus
VERBI, & Nominis, hinc & hinc furentum.
Hunc lector lege, fabulæ faceſſant:
Hic prompti Ciceronis eſt facultas:
Hic ſunt ridiculi ſales, iociq;:
Quid ſtas? hunc rigidi legunt Catones.

HIERONYMI FONDVLI CREmonenſis hexaſtichon ad Lectorem.

Nominis & Verbi lector ſtipe ſumito bellum,
Quo pax nulla quidem dulcior eſſe poteſt.
Bella recognoſces, quorum ſine partibus, hoc eſt
Eloquio, omnis homo cederet uſq; feris.
Hic iocus Andreæ defluxit ab ore Salerni,
Fluxerunt lepidi cum grauitate ſales.

EIVSDEM TETRASTICHON.

Ranarũ, & Murũ tã belle haud ponit Homerus,
Bella gigantæas non ita Naſo manus,
Andreas quanta cum maieſtate Salernus
Ingenij bellum grammaticale canit.